Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36642
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

ut qui stare non potest, ut semper idem sit, moveatur et promoveatur semper, ut melior fit. Primum enim bonum erat in summo stare, secundum est bonum ad superiora ascendere. Ideo vita mutabilis ne sua mutabilitate dissoluta ad deteriora semper deficeret, talibus studiis nutrienda fuerat, in quibus rerum varietate foris exercitata et emulatione virtutum intus accensa proficiendi occasionem inveniret. Diversa sunt tempora et distincta loca, proposite species corporales, iniuncta studia et opera exercenda, ut medicinam interioris hominis exterior homo prepararet, et ei subesse et prodesse addisceret. Nam cum prius vita humana per duo exercitationum genera cucurrisset, in altero ad necessitatem, in altero ad voluptatem, in altero ad usum, in altero ad vitium, ad usum per naturam, ad vitium per culpa, alterum ad sustentationem, alterum ad subversionem. Congruum quoque erat ut tertium exercitationis genus adiungeretur, ut per illud unum e duobus premissis evacuaretur quod erat nocens, alterum perficeretur quod non erat sufficiens. Proposita sunt ergo homini foris opera virtutum ad edificationem interiorem exercenda, ut illis occupatus nequaquam vacaret ad opera iniquitatis, nec semper ad opera necessitatis. In hiis autem virtutum studiis mirabili dispensatione deus et multiplicitatem providit, et varietatem, et intermissionem, ut humana mens et in multiplicitate exercitationem, et in varietate delectationem, et in intermissione recreationem inveniat. Sacrata sunt quedam loca, edificate basilice, et determinata tempora certa, quibus populus fidelis in unum congregetur, et unitas commendetur, ut gratias reddat, preces offerat, vota persolvat. Illic deus nunc in silentio suppliciter exoratur, nunc clamosis vocibus devote collaudatur. Ut vicissim fidelium corda nunc componantur ad requiem, nunc excitentur ad devotionem. In ipsis quoque divinis sermonibus non eadem semper exhibetur forma collaudationis. Nunc psalmodie accenduntur ad devotionem, nunc ymni et cantica ad divinam excitant iocunditatem, nunc lectiones recitantur ad formam morum et vite bone instructionem. Ipse etiam actiones nostre in divinis obsequiis non eadem semper institutionis forma procedunt. Nunc erecti, nunc prostrati,

nunc inclinatione, nunc conversione, ex gestu corporis statum mentis exprimimus. Sed et ipsa in quibus se operando exercet et divinum cultum adornat fidelium devotio, multa et multifaria simili ratione provisa sunt, ut sint plurima et sacra et sacramenta, quatenus fides in eis et materiam exercitationis et causam recreationis perfectam inveniat. Sic enim fidelis animus dum foris ad varia se exercitationis studia ducitur, magis semper ac magis intus et ipsa sua devotione ad sanctitatem innovatur. Et ad hunc modum quidem intelligendum putamus quod dictum est sacramenta propter exercitationem instituta.

De institutione sacramentorum. .4.

Est ergo triplex causa institutionis sacramentorum omnium: humiliatio, eruditio et exercitatio hominis. Que cause si non essent, sacramenta omnino, id est sacrarum rerum signa ut instrumenta, elementa per se esse non possent. Que denique elementa sacramenta sunt, non natura prima facit, sed apposita institutio per dispensationem, et gratia infusa per benedictionem. Que duo si elementa post primam naturam non accepissent, sacramenta per se esse non potuissent. Dedit prima natura habilitatem ut hec esse possent, adiunxit secunda institutio auctoritatem ut hec fierent, superaddidit tertia benedictio sanctitatem ut hec essent. Prima facta per creatorem, secunda apposita per salvatorem, tertia administrata per dispensatorem. Est enim creator per maiestatem vasa formavit. Post salvator per institutionem causam proposuit. Postremo dispensator per benedictionem hec ipsa mundavit et gratia implevit. Et apparet mirabile quod qui maior fuit quod minus erat fecit, et qui minor fuit fecit quod maius fuit. Plus enim sanctificatio contulit quam creatio, quoniam in creatione naturam acceperunt ut essent, in sanctificatione gratiam ut bona et sancta essent. Si igitur deus creat, sacerdos sanctificat, plus homo facere videtur quam deus, quod omnino absurdum et inconveniens esset, si non quod homo facit, hoc et faceret et deus. Deus enim sine homine creat